

E P I S T O L A

victarum urbiū, ac populorum sub juga redactorū,
 exhilarat victoria: alium publicæ litteratorum ho-
 minum oblectant lucubrationes: multi defidiâ tor-
 pescentes, non nisi utrumque carpere, heroica & ex-
 pedientia in abjectis reputare satagunt; illi gloriam,
 nullâ mortalium ætate sepeliendam, justè exigunt;
 hi etiam ipso teste Solone, accusantibus certatim ob-
 noxii, viventes, mortuique, juxtâ æstimantur. Me-
 ritò igitur collaudati extiterunt ii, qui nullâ re aliâ,
 quàm perpetuâ virtutis voluntate commoti, homi-
 num societate excitati, plurimùm industriæ, operæ,
 ac præsidii in Reip. utilitatem contulerunt; non ul-
 la res tanti æstimanda, quam non in augendâ, & ad-
 ministrandâ universitate, sapientes aurei illius sæcu-
 li, suscipiendam simul, & retinendam censuerunt.
 Inter plurima autẽ in communi pernecessaria, navi-
 gatio cum agriculturâ, non in extremis, exercetur,
 numeraturque hominum commoditatibus: verùm
 navem sine astrorum peritiâ dirigere, aliâs, nec vivis
 nec mortuis annumerandos, certius de vitæ salute
 desperare cogit. Terræ cultura imperitè suscepta,
 omnem commerciorum, excludit absunitque oc-
 casionem, sine quibus tamen, vix esse, vel subsistere
 posse civitatem, aut Remp. Plato volebat. Nec enim
 vertendum, sed arandum Plinius ait, unumquodq;
 opus